

DISPUTATIO MEDICA,
De
PASSIONE COLICA.

Quam
Divinâ fauente gratiâ,

SUB PRAESIDIO
DN. IOHANNIS SIGFRIDI, PHILO-
SOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS,
ac Professoris in illustri IULIA ordinarij,
nec non collegij Medici pro tempore
DECANI,

Publicè discutiendam proponit
THOMAS HOFFMANNVS, GLO-
GOVIENSIS, SILESIVS.

Fiet disputatio 6. April. manè horâ 6.
in auditorio maiore.



HELMAESTADI,
Typis IACOBI LVCII, Anno

c13 13 cXL.

*Magnificis, Nobilissimis, Autoritate, Gravitate,
Rerumq; usu praestantissimis,*

DN. SIGISMUNDO von
Loiß/ & Simsen in Simsen/ *re.* } Fratribus
DN. IOHANNI von Loiß/ } germanis
& Simsem in Gramschitz/ *re.* }
DN. VVOLFGANGO von Braun/
in Schepel/ Seifersdorff/ *re.*

*Proceribus de ducatu Glogouienfi meritissimis,
Regiaq; curia ibid. Assessorib. dignissimis,*

NEC NON

Clarissimis atq; Excellentissimis viris,

DN. IOHANNI MENCELIO, PHILO-
sophiæ & Medicinæ Doctori, ac Republicæ Glogouinæ
Physico ordinario celeberrimo,

DN. BALTHASARI CARISIO, ME-
dicinæ Doctori, Practico apud Glogouientes
felicissimo,

*Dominis meis, Mecænatibus & Promoto-
ribus Maximis, omni animi reueren-
tia cultu prosequendis,*

Submissè

Disputationem hanc de Passione
colicâ

Inscribo

THOMAS HOFFMANNVS
Auctor & Respondens.



DISPUTATIO MEDICA,
De
PASSIONE COLICA.

THESIS I.



Vi Medicinæ operam suam dicant, in morbis illis, quibus homines sæpè infestantur, quique crebrò Medicis curandi offeruntur, sese ut exerceant, non solùm Hippocrates, verùm & vniuersa Medicorum cohors hortatur. In horum censu cum quoque sit

DOLOR COLICVS, nos hoc præcepto admoniti, de nomine, naturâ, causis, differentijs, signis, & curatione eius, quâ fieri potest breuitate, agemus.

2. Nomen itaque quod attinet, dicitur hic affectus Græcis à loco adfecto seu subiecto, quod intestinum Colon est, *κολικὴ διάθεσις*: Latinis dolor Coli vel Colicus: quæ vox dupliciter sumitur: latè & strictè. Latè pro omni dolore intestinalium. Strictè verò & propriè, ut & nos consideramus, accipitur pro dolore intestini Coli, quod hic oblaesum est. Celso dicitur morbus intestini plenioris. Germani hunc affectum denotant vocabulo generaliori, *frimmen*: propterea, quia ægrum dolores atrocissimi solent torquere. A loco affecto, appellatur, *der Kolk oder Colike*.

Gal. de loc. aff. c. 2.

Lib. 4. c. 14.

Platerus in tract. de dolorib. cap. 13.

3. Est igitur **COLICA PASSIO** tristis sensatio in intestino Colo vehemens, à causâ dolorificâ continuum soluente proueniens, cum difficultate egerendi.

4. Adfectus hic, quamuis diuerso modo accipitur, & quidem

dem nunc pro morbo, nunc pro symptomate : nos tamen, quatenus est vitium in genere excretorum & retentorum, & actio deprauata redditur, ad symptomata cum omnibus veteribus referimus.

5. Symptomatis huius causas Medici statuunt intemperiam & continui solutionem : cui sententiæ & nos subscribimus : negando tamen 1. dolorem hunc fieri immediatè ab intemperie, sed interuentu solutionis continui. 2. fieri ab intemperie simplici : cum hæc leuiores efficiat dolores, quàm vt colici dici mereantur : & huiusmodi intemperies breui tempore perdurare soleat : & vix fieri possit, quin generetur statim post humores & flatus, quorum interuentu dolores fiunt vehementiores.

12. M. M. c. 3.
Paul. lib. 3.
c. 43.

Tom. 3. lib.
3. c. 15.

Lib. 6. pa-
thal. cap. 10.

Hollerius
lib. 2. de
morb. in-
tern. cap. 14
in schol.

Platerus di-
cto tract. de
dolorib.
cap. 13.

6. Causæ horum morborum *συνεκτικαί* vel continentes numerantur quatuor à Galeno: 1. Pituita vitrea intrâ tunicas intestini, non verò in ipsâ cavitare collecta, eas diuellens ac distendens, vt ex mente Galeni statuit Mercatus.

7. Secunda causa est flatus in Colo intestino congestus: qui si propter obstructionem à duris exsiccatisq; fecibus, alijsque de causis erumpere nequit, intestinum magno & ingenti cruciatu distendit ac diuellit: ita vt brachij amplitudinem adæquet, quemadmodum multoties se obseruasse Fernelius restatur.

8. Tertia causa est humor acris & erodens, collectus intrâ tunicas intestinorum, vt pituita: qui aliquando retinetur post morbum biliosum, vt in ictero.

9. Quarta causa est inflammatio intestini, proueniens à sanguine, qui è venis mesaraicis in intestinorum substantiam infunditur: ob copiam vel tenuitatem eò defluens: vel ob dolorem insignem, qui præcessit, eò impulsus: aut ab aliâ intestinorum læsione concitatus.

10. Humores omnes enumerati, aut generantur & sensim cumu-

enmulantur in intestinis, aut aliunde transmittuntur, vt à ca-
pitate, ventriculo, epate vel toto venoso genere.

11. Præter enumeratas causas sunt & aliæ, quæ prohibent,
quò minus flatus & excrementa exire queant, nempe ob-
structio coli intestini, eiusq; angustia, & tumores præter
naturam.

12. Obstructio fit vel à frigidis, crassis & pituitosis humo-
ribus: vel à flatu copioso, crasso & frigido: aut excrementis
nimium exsiccatis: aut à corporibus duris, vt calculis &
officulis &c.

13. Pituitam viscosam, crassam & vitream, causam esse
doloris colici exempla demonstrant. Legimus enim apud
Fernelium de legato quodam Caroli Quinti Imperatoris, cui
iniecto clystere, durum ac firmum quippiam, pedis longitu-
dine detractum est. Et de alio ibid. cum è viuis discessisset,
colum eius intestinum adeò pituitâ concretâ infarctum in-
uentum est, vt solidum prorsus censeretur.

Lib. 6. pa-
thol. cap. 9.

14. A flatibus & excrementis induratis oriri colicam ipsa
experientia testatur. Siquidem iniectis clysteribus & alijs
medicamentis flatus discutientibus, & excrementa soluenti-
bus & purgantibus, colica passio cessat.

15. Vermes qui in intestinis præter naturam ex putridâ
materiâ generantur, non solùm qualitate peccant, mordendo
continuitatem soluentes: verùm etiam quantitate seu copiâ
nocent, dùm scilicet, vt scribit Auicenna, plures generantur,
intestinum distendunt, eiusq; continuum solunt.

16. Calculos in intestinis gigni, eaq; obstruere & colicam
excitare, non solùm veteres, verùm etiam recentiores obser-
uarunt, & memoriæ prodiderunt.

17. Inter veteres est Aëtius & Galenus. Aëtius enim scri-
bit, calculos cieri colicam, præsertim si magni & plures fue-
rint, sed rarò. Galenus refert, quosdam in vehementissimis

Sermon. 9.
cap. 30.

Lib. 6. de
loc. aff.

excre-
cap. 2.

excretionibus, validis præcedentibus doloribus, lapides cal-
losos excreuisse: similes ijs, qui in vesicâ generantur.

Lib. 21. ob-
serv. 4. in
schol.

Lib. 3. de
morb. c. 13

Lib. 3.
cap. 25.

18. Inter recentiores est Forestus & Capouaccius. Fore-
stus enim refert, hoc accidisse domicellæ Vanderanæ: quam
tamen exhibito pharmaco leniente curavit. Capouaccius
testatur, se Patauij vidisse lapidem magnitudinis oui gallina-
cei: quem Exellentis. dominus, Franciscus Frismelica, qui
colico dolore vexatus fuit, excreuit: eumq; multis Medicis
tam Italis quàm Germanis monstravit. Eandem historiam
refert Alexander Massaria. Hercules Saxonia tradit, se vi-
disse plures calculos à fabro lignario eiectos, nimirum nume-
ro quindecim, auellanæ magnitudine, vnâ vice.

19. Ab officulis fieri docet Platerus. Refert enim histo-
riam de muliere quâdam, quæ, dum curâ per diætam vtere-
tur, & officula è pedibus gallinarum coctis, multoties deglu-
tiret, multisq; annis in intestinis illa hærent, demùm eius-
modi casum pepererunt: simulq; addit, se hoc ex eo collegis-
se, quòd post clysterem infusum magnâ copiâ illa reddiderit,
liberataq; fuerit.

20. Dispositionem adeoq; angustiam intestini quod atti-
net: certum est, illud quibusdam incorporibus naturalem dis-
positionem, quò ad figuram & magnitudinem non obtinere.
Siquidem illud quibusdam in locis est capacius, in alijs angu-
stius. Angustiam vidimus anno præcedenti 1610. mense De-
cembri, in illustri hâc Iuliâ, in muliebri cadauere, præeunte
clariss. domino Præsidi D. IOHANNE SIGFRIDO, Præ-
ceptore nostro plurimum honorando, insignem: in sinistro la-
tere: duobus in locis, nempe suprâ renem & regionem ossis
sacri: eratq; tanta, vt vix digitus immitti, imò ne flatu quidem
distendi posset intestinum.

21. Deniq; obstruuntur etiam intestina à tumoribus præ-
ter naturam: nempe inflammatione, erysipelate, œdemate,
scirrho,

scirrho, (præsertim si magni & insignes fuerint) qui cauitatem
intestini occupent, eamq; angustiolem efficiant.

22. Causæ *αἰσθητικῆς* siue euidentēs, sunt sex res non
naturales. Aër ambiens nimis intemperatus, præcipuè tamen
frigidior: sub quo comprehenditur regio, tempus anni, vt au- Hipp. 3.
tumnus: item *μείζονα* illa maligna aëri permixta, quæ Epi- Aph. 22.
demiā colicā efficiunt. Inprimis verò cauendum, ne pe-
des frigore afficiantur. Grauiſſimum enim dolorem se ex eo
passum esse, vt ferè in deliquium animi incurrerit, Forestus Lib. 21. ob-
de se ipso testatur. seru. 10. in
schol.

23. Cibi quoq; & potus plurimùm ad hunc affectum ge-
nerandum faciunt: qui vel adstrictionem introducunt, vel fla-
tuum copiam generant, vel stercora indurant: vt sunt, casta-
neæ, caseus vetus, olera omnia, maximè cucurbita, melones,
pepones, omnesq; fructus horarij & legumina, aqua gelida,
vinum plurimâ aquâ dilutum. Inprimis verò vitanda sunt o-
mnia acida, quia ventriculum maximè lædunt. Forest. eod.
lib. obseru. 4. in schol.

24. Otio verò dùm calor natiuus obruitur, cruditates gi-
gnuntur, excretionēs detinentur & coaceruantur. Sic coitu
nimio calor natiuus debilitatur. Similis ratio est in somno im-
modico. Et animi pathemata non minùs quàm superiora nos
lædunt: quatenus cum impetu sanguinem & spiritum ad in-
teriora reuocando, vel ad exteriora expellendo, commo-
uent.

25. Excretionēs quoq; consuetæ intermissæ, dolori coli-
co generando plurimum adiuuenti ferunt. Quod eleganter Diæo lib.
demonstrat Forestus. obseru. 6.

26. Differentiæ præcipuè desumuntur: 1. à magnitudine,
vndè dolor colicus est vel intensior, vel remissior. 2. à motu:
dolor alius est continuus, alius per interualla rediens. 3. à mo-
re. Interdum est benignus, interdum malignus, pestilens &
contagiosus. De hâc colicæ specie Auicenna sic scribit: Quan-
doq;

Lib. 3. sen. doq; accidunt Colica & Ileas, secundum semitam aegritudi-
16. tract. 2. num pestilentialium prouenientium, & perueniunt è regione
cap. 6. Et in regionem, & de homine ad hominem. Paulus mentionem
tract. 4. c. 30

Lib. 3. cap. 43. facit cuiusdam Colicæ aegritudinis suâ ætate sæuientis, quam
à finibus Italiæ incipientem, narrat, per pluraq; alia loca Ro-
mani Imperij instar pestiferæ contagionis grassatam fuisse.

27. Quartò differentiæ sumuntur ab adiunctis: interdum
est cum febre, interdum sine febre. 5. à causis diuersis quoq;
desumi differentiæ possunt. 6. à subiecto: Dolor colicus alius
Fetnel. lib. 6. pathol. cap. 10. est verus, alius nothus. Verus qui in Colo intestino consistit:
nothus, qui vel in peritonæo, vel in membranis, quæ abdo-
mini ventrisq; partibus obtenduntur, hæret. 6. à loco subie-
cti: dolor alius est vagus, alius fixus & in vno loco consistens,
qui perforatius vocari solet.

28. Signa sunt triplicia: ἀναμνήσιμα, διαγνώσιμα & προγνωσι-
μα. Signa ἀναμνήσιμα, quia plurimum faciunt ad affectum cog-
noscendum, ad signa diagnostica referuntur: quæ sunt tripli-
cia. Alia enim partem affectam, videlicet colon intestinum,
& affectum ipsum demonstrant: alia hunc affectum ab alijs
distinguunt: alia causas huius affectus indicant.

29. Partem affectam & affectum ipsum indicantia sumun-
tur, 1. à doloris proprietate: Est enim vehementissimus dolor
Gal. 2. de loc. aff. ventris: nunc fixus, terebro perforanti similis: aut per quem
in dolente loco palus infixus videtur: nunc vagus & tensius,
modò in hâc, modò in illâ parte validiùs vrgens, pungens &
mordicans. 2. à proprijs accidentibus: quæ sunt, nausea, vo-
mitus diuersarum materiarum, dolor auctus assumptò ali-
mento. 3. ab excretis & retentis. Alius plerunq; est adstricta,
& si quid excernitur, id ipsum maiori ex parte durum & flatu-
lentum est.

30. Signa distinctiua à notho colico dolore sumuntur: 1.
à parte affectâ. Veri enim subiectum est intestinum colon:
nothi

nothi verò peritonæum, vel membranæ, quæ abdomini ventrisq; partibus obtenduntur. 2. à iuuantibus: Nothus enim non solet deliniri ijs medicamentis, quibus verus aufertur.

31. A nephritide (in quo se ipsum deceptum esse Galenus affirmat) differt: 1. Situ. Nephriticus dolor est in ipsâ regione renum, quasi fixus, & semper ad posteriores partes vergit: colicus verò plerumq; est suprâ regionem renum, magis ad anteriora inclinans. 2. Excretis. Vrinæ in colicâ plerumq; in initio sunt rubentes & crassæ: in nephritide, principio quidem vrinæ impermixtæ, crudæ & tenues, postmodum tamen vel cum lapide, cruoreuè permixtæ cernuntur. In colicâ aluus plerumq; suppressa est, aut si quid excernitur, flatuosum est, vt aquæ supernatare cernatur: quod in nephritide non accidit. 3. Proprijs accidentibus: In colicâ est nausea, vomitus, syncope, interdum & sudor frigidus: in nephritide crurum stupor, tremor totius, flectendi & erigendi corporis impotentia. 4. Iuuantibus. Clysteres enim qui in colicâ iniunguntur, in nephritide nihil prosunt.

32. A dolore vteri distinguitur: 1. Situ. Dolor vteri ilia non transcendit, inguina, pubem, coxasq; occupans: colicus verò ad ventriculi regionem ascendit, in partibus inferioribus dictis rarò sentitur. 2. Accidentibus. In dolore colico est alui magna suppressio: in vterino verò symptomata hysterica, vt suppressio mensium, strangulatio vteri, &c.

33. Inter iliacam & Colicam passionem differentiam constituit: 1. Situs. In Ileo est dolor magis fixus, & magis in circuitu umbilici: coli dolor magis est in lateribus, & paulò infra ventriculum. 2. Accidentia. In Ileo plerumq; est febris, & vomitus magis molestus suâ frequentia, quàm in colicâ. 3. Doloris species. In Ileo dolor est magis punctiuus, in colicâ verò magis extensiuus & perforatiuus.

34. A dolore ventriculi differt situ. Colicus dolor partes

B

vel

2. de loc. aff.
e. 5. Item 6.
de loc. aff.
c. 2.

vel infra vel propè ventriculum: dolor verò ventriculi partes umbilico superiores magis affligit. Colicus dolor magis ad anteriores & laterales partes: dolor verò ventriculi magis ad posteriora, & ad spinam intrà duas scapulas pertingere solet.

35. Signa causarum sunt hæc: Si à vitreâ, crassâ & viscidâ pituitâ malum ortum est: dolor est fixus & profundus, vt intestinum rectum terebro perforari videatur: ructus, flatus & fecum cohibitio: vomitus pituitosi, nausea, cordis angustia. Præcessit crapula, otiumque multum, & alia pituitam generantia.

36. Si ex humore bilioso, acri & erodente: calor, sitis, vigiliæ, dolor mordax, cardialgia, vrina insigniter flaua: præcessit victus ad bilem generandam aptus.

37. Si à flatibus. Dolor extensiuus, errans: rugitus: prægressæ flatuum generatrices causæ.

38. Ab inflammatione verò malum si originem traxerit: dolor tensiuus, continuus & fixus: vigiliæ, sitis, febris, vrinæ & stercoris retentio: vomitiones, quæ nihil leuant. Sequitur plerunq; biliosos morbos.

39. Si ab obstructione fuerit dolor, & quidem primò ob induratas feces, aderunt grauitas magna, distentio tanta, vt intestina dirumpi videantur. Antecessit astringentium vsus, vehemens exercitatio, & calor iecoris adest. Si autem à pituitâ, cognoscitur ex signis prædictis thesi 35. Si à vermibus, deprehenditur à naturâ ægri, cæterisq; signis lumbricorum. Si à lapide: cognoscitur per absentiam aliorum signorum, quæ alias causas obstructionis ostendunt.

40. Prognostica signa tria monstrant: 1. ipsum euentum affectus, an scilicet tendat ad salutem vel ad mortem. 2. tempus euentus. 3. modum euentus.

41. Euentus huius affectus incertus est: potiùs tamen tendit ad

dit ad salutem, quàm ad mortem, si bona signa adsint: & è contrà. Bona autem signa sunt: dolores remissiores, inconstantes, per intervalla redeuntes, non continui, excrementa non profus retenta. Contrà pro malis habentur, singultus, vomitus, ructus foetidi, refrigeratio extremarum partium, sudores frigidi & syncope.

42. Tempus euentus quoq; incertum est. Nam interdum citius finitur, interdum longius protrahitur.

43. Modus euentus est aliquandò simpliciter ad mortem, quando mala signa apparent: aliquando simpliciter ad salutem, quando bona conspiciuntur: aliquando in alium affectum degenerat. Sic quibus dolor circà hypochondria est, sine inflammatione, ijs febris superueniens dolorem soluit. Aliquando transitus fit in paralyfin. Aliquando in epilepsiam, vel hydropem siccum mutatur. Aliquando in ileum abit, & præsertim si ab inflammatione oriatur. Aliquando in dyssenteriam terminatur: præcipuè quando à biliosis humoribus causatur.

44. Colica pestilens & contagiosa maximè lethalis est, de quâ Paulus scribit, multos ægros in morbum comitalem, quosdam in paralyfin, & nonnullos in vtrumque morbum incidisse.

45. Auicenna inter exitialia signa doloris colici reponit vestigium quoddam, quod ille Bobor nigrum, alij pustulam nigram appellant: quæ si fabæ magnitudine supra ventrem consistit & exulceratur, atq; ad diem secundum aut tertium permanet, æger moritur.

46. Ad curationem nunc accedendum, quæ duplex est: ordinaria, quæ apposita remediorum administratione morbum tollit, causas eius omnes è corpore remouendo. Extraordinaria, quæ his neglectis vrgentiori symptomati, dolori scilicet, propter virium conseruationem, occurrit. Vtraq; perficitur

Hipp. 6.
Aph. 40.
Gal. 2. Aph.
36.
Hipp. 4.
Aph. 11.

3. can. feno
16. tract. 3.
c. 9.
Dominicus
Leon. lib.
4. sect. 3. c. 9
Maffaria li.
3. cap. de
colicâ.

ficitur tribus illis Medicinæ instrumentis, scilicet diætâ, pharmacîâ, & chirurgiâ. De omnibus paucis dicemus.

47. 1. Aph. 11. Victus ratio pro varietate causarum instituenda est. Si itaq; pituita vitrea & flatus in causâ sint: aër vergat ad caliditatem, qui si talis naturâ haberi non potest, arte præparetur. Cibus sit facilis concoctionis & tenuis substantiæ: vt sunt ex volucribus carnes gallinacæ, perdicum, turturum, columbarum iuuenum &c. quibus admisceatur semen anisi & carui: quibus & reliqui cibi omnes condiantur. Et notetur generale illud præceptum Hippocratis: In ipsis exacerbationibus cibum adimere oportet. Potus sit vinum album, generosum, absynthites, vt & cereuisia absynthitis, cum calamo aromat. & baccis lauri præparata &c. Motus corporis omni studio adhibeatur antè cibum. Vitentur omnia, quorum in thesi 23. & 24. facta est mentio.

48. 1. Aph. 16. Si ab inflammatione: aër ad frigidum & humidum vergat. Cibus quoq; actu & potentiâ sit talis, ob febrim præfertim coniunctam, quâ laborantibus Hippocrates talem victum præscribit. A Egri quiescant, & quantum fieri potest somno studeant.

49. Lib. 21. obferu. 12. in schol. Si à biliosis & acris humoribus, victus idem instituat. Vitentur omni studio illi cibi, qui in prauam naturam facile corrumpi solent. Inprimis verò, vt & in præcedenti causâ, laudantur poma: Item à Paulo A Egineta potus aquæ frigidæ: hâc tamen cautione, nisi principalis aliqua pars inflammationem susceperit, aut vires infirmæ sint, vt rectè admonet Alexander Trallianus, referente Foresto. Maximè quoq; laudatur potus aquæ hordei.

50. Si propter fecum retentionem dolor accidat, emolliendi vi prædita sunt adhibenda. Cibus omninò sit humectans, vt ius carnis cum prunis, aut pruna ipsa cum sacharo. Potus sit decoctum prunorum cum sacharo. Vitetur somnus immodicus &c.

51. Phar-

51. Pharmacia, vt & victus ratio, pro varietate causarum varianda. De quâ in genere hæc tria notanda: 1. Quod aliud aperta plurimum conducat. 2. Vt medicamentum potius per clysterem iniiciantur, quàm per os exhibeantur. 3. Vt nulla medicamenta iniiciantur vel extrinsecus adhibeantur, antè alui apertionem.

52. Pituita itaq; vitrea sui euacuationem indicat. Verùm quia materia contumax, incidentibus priùs, coquentibus & detergentibus vtendum: admiscendo ijs, quæ partem laxent, quò minùs extensa doleat, vt monet Mercatus. Nunquam verò in initio nimis calefacientibus est vtendum: sed ijs, quæ simul exsiccent & digerent, si quid liquarint.

Tom. 3.
lib. 3. cap. 15.

53. Conueniunt ergò origanum, pulegium, marrubium, mentha, hyssopus, thymum, ammi, maiorana, beta, rosmarinus, enula, radix pæoniæ, scordium, fefeli, ruta, anethum, chamamel. vinum tenue, odoriferum, castoreum, confectio de baccis lauri &c.

54. Detergunt verò validiùs, centaurea maior, vrticæ semen, asarum, betæ succus, mercurialis, sal, sulphur, ius galli antiqui, chartamus, ol. rutaceum, anethin. & alia in quibus superiora coxerint. Maximè laudatur cortex arantiorum in vino albo si coquatur.

55. Ex his omnibus parentur clysteres, facculi, emplastra, olea, fots, balnea, infessus &c. quibus commodè vti possumus.

56. Attenuata & concocta materia denique expurganda hierâ, diaphænicon &c. nec fortioribus vtendum, nisi vbi contumacius malum est: tunc vti licebit ℥j. pulueris hieræ diacolocinthid. coactâ in pillulas, cui adijci possunt diagridij grâ. iij.

57. Quòd si malum hac adhibitâ curatione non cedit, coniectandum est, sensim illius humoris copiam non leuem

succrefcere in ventriculo, quæ fomentum malo præstat. Quapropter vomitibus fingulis diebus aut tertio quoq; die factis materia minuenda est: quod tanquam peculiare præfidium consulit Mercatus, non solùm dùm dolor vrget, verùm etiam præcauendi gratiâ.

Forest. lib.
21. obseru.
7. in schol.

58. Sic quoq; post cibum sumtum si dolor affligat, & æger vomitioni sit assuetus, feliciter excitatur. At in stomacho debiliore & intestinis gracilibus debilius, etsi multi humores adsint in facti, & stercora dura, minùs conuenit vomitus.

59. Expurgatâ materiâ vehementer etiam calefacientia, attenuantia & discutientia sunt adhibenda, vt vis medicamentorum ad interiores partes magis penetret: in quem finem exhibentur theriaca, mithridatium, aquæ theriacales, &c. quibus sudorem mouere possumus, quem vtilem hîc iudicamus.

60. Si à flatibus hoc malum ortum fuerit, eadem, vt in præcedenti, adhiberi possunt. Nihil enim differunt: nisi quòd in priori est plus materiæ, flatuum verò minus. Magis itaq; ad flatum respiciendum. Et quia plerunq; detinentur ob stercorum duritiem, sit primus Elyster emolliens & fortiter euacuans: qualis ex hydrelæo, melle & sale modico componitur. Inijciatur deniq; clyster flatum discutiens, cui inferuiunt cuminum, ammi, amomum, feseli, daucus, anisum, faniculus, petroselinum, ruta, cariophylla, cinamomum, piper, galanga &c. allium quoq; hîc plurimùm prodest, quod tanquam theriaca rusticorum à Galeno commendatur.

12. M. M.
cap. 8.

61. Aristolochiâ quoq; castoreo & euphorbio, quæ fortiora sunt, hac in causâ vti licet. Sed hîc maxima, vt & in reliquis colici doloris generibus, habenda est ratio mulierum grauidarum, ne quid inijciamus aut applicemus, quod abortum faciat, qualia sunt amara omnia. Videndum rursus ne ni-miùm aperientibus vtamur. Prætereà neq; emolliendum,
neq;

Hollerius
lib. 1. de
morib. in-
tern. ca. 41.

neq; relaxandum nimis. Hinc enim dissolutis vinculis abortio fit.

62. Omnium efficacissimum remedium à Galeno, comprobante experienciâ, iudicatur, & incantamenti instar laudatur: si prius subtractâ materiâ flatuum, cucurbitula magna cum multâ flammâ umbilico imponatur. In cuius defectu vulgare poculum vitreum, suppositâ laminâ panis, cum cereâ incensâ candelâ assumi solet.

Eodem lib.
12. M. C. 8.

63. Si verò biliosi humores dolorem hunc effecerint, talia exhibenda sunt, quæ vim detergendi & expurgandi absq; mordicatione habent: talia sunt cremor ptisanæ, decoctum maluarum, althææ, fænugreci, additâ pulpâ cassiæ, & duobus ouorum vitellis. Si hæc non sufficiunt, danda quoq; est hiera, decoctum prunorum, tamarindorum &c. Si hoc modo humores euacuari nequeunt, propter dolorem, per Epicrasin hoc malum contemperandum est. Quare cum cibus, tum medicamentis, prædictum humorem attemperare oportet: vt intybo, lactucâ, syrupo violaceo &c.

64. Quando verò suspicio est exulcerationis, tunc planago, rosæ, sumach &c. decocto clysterum sunt admiscenda. Et si ab hepate calido causa morbifica fouetur, illam ad ventriculum transmittente, tunc blandâ vomitione erit expurganda, heparq; roborandum.

65. Si ab inflammatione dolor originem habuerit, digesta sunt adhibenda, qualia sunt clysteres ex lacte, decoct. fol. maluæ, althææ, violarum, hordei: cui addantur ol. violac. vel amygdalar. dulc. vel rosac. sach. rubr. aut mellis violacei: pulpa cassiæ nouiter extractæ, adeps anserin. vel galin. &c.

66. Accedendum deindè ad fænugr. chamæmel. sem. lini, anethi. Præcipuè venter foueatur ol. melino ab initio: adden-

addendo deinde ol. chamæmel. amygdalar. dulc. &c. Astringentia ob meatuum angustiam vitanda esse existimamus.

Lib. 10. c. 67. Nequaquam verò iuxta Trallianum purgationem in his, & præsertim inter initia exhibere debemus. Hoc enim qui faciunt, sæpè ægrotantibus periculorum & mortis autores existunt. Accidit namq; vt medicamentum humores ex illæsis partibus trahat, & transuehat ad affectas partes. Cùm autem hæc id, quod allatum est, nequeant propellere, necesse est dolorem, vigilias & tormina augeri: ac ijs omnibus incrementibus in ileosum morbum incidere.

Forest. lib. 21. obseru. 11. in schol.

68. A simplicibus & induratis fecibus si dolor est, horum emollitioni, fomentis, infussionibus & clysteribus opera danda. Cui indicationi satisfaciunt, ol. commun. amygdal. dulc. manna, ius galli antiqui, balneum aq. dulcis &c. de clysteribus tamen illud Reineri Solenandri obseruandum, ne iniectioni clysteris quantitas grauet, aut distendendo dolorem augeat: nec semper ad libras accedamus, sed in vncijs quoque nonnunquam subsistamus.

sect. 3. con. fil. 28.

69. Nec improbandum auxilium illud Hippocratis, si malum superioribus non cedat, qui vult, vt folle fabrili intestina inflentur, & à stercore separentur: quò factò, statim clyster iniiciendus, ad dissoluenda & excludenda dura stercora, ægerq; in balneum est locandus.

70. In materiâ tophaceâ & lapideâ, præsidijs illis, quorum in thesi 68. facta est mentio, vti possumus. Vt & in obstructione Coli factâ à conglobatione lumbricorum: admiscendo tamen in hoc posteriori casu, quæ vermes necant & expellunt, præcipuè oleum commune.

71. Atq; hæc de legitimâ curandi ratione per pharmaca. Quòd si verò dolor valdè vrgeat, illâ neglectâ, symptomati obueniendum narcoticis siuè stuporem inducentibus: inter quæ

quæ plurimum laudatur theriaca, præsertim si à venenatâ qualitate originem habuerit, athanasia, opium castoreo (quod plurimum intestinis conducit) correctum, philonium Romanum &c. In horum tamen vsu tria sunt notanda: 1. ne vsu horum differamus, donec vires labascentes prorsus deficient. 2. Quòd commodius & tutius vsurpentur in doloribus ab humoribus calidis, quàm frigidis. 3. Quòd sit tutius, uti compositis, quàm simplicibus.

72. Neq; reiicienda esse videntur illa medicamenta, quæ à proprietate totius substantiæ huic affectui conueniunt: qualia sunt, cingulum ex intestino, vel pelle, vel chordâ umbilicali lapi, simus lupinus. Laudatur quoq; à Platero auellana appensa, argento viuo plena, cornu cerui præparatum &c. Histamen omnibus ita fidendum statuimus, ut ijs potius utamur, quibus ratio manifestior suffragatur.

73. Restat nunc phlebotomia: quæ in dolore colico à pituitâ vitreâ, ut & à flatibus, veteribus omnibus improbatur: nos tamen eam non omninò reiicimus, cum dolor vehementissimè vrget: hâc ratione inducti: quod sanguinis missio generali ratione in omni dolore acerbissimo conueniat. Secetur itaq; basilica dextra: angustiq; foramine factò, modica fiat euacuatio. In inflammatione verò plerisq; probatur sectio venæ internæ, quæ iecoraria dicitur. Et si vrina retineatur propter inflammationem, ex malleolo sanguis detrahatur. Sic etiam in dolore ab acribus & biliosis humoribus factò, eandem probamus. In genere verò, hoc de euacuatione sanguinis notandum, quòd paulatim potius, quàm confertim fieri debeat, monente Foresto. Et tan-

tum de dolore colico dixisse
sufficiat.

Disto lib. 21
obseru. 11.
in schol.

C

COROL-



COROLLARIA.

I.

An affectus hic, qui dicitur DOLOR COLICVS, Hippocrati fuerit cognitus: cùm tamen in scriptis suis nullam mentionem eius faciat? Affirm.

II.

An clysteres ascendant suprâ coecum intestinum, & ad ventriculum vsque ferri possint? Negamus.

III.

An ijs solummodo quæ ore assumuntur, nutritio fiat, an etiam clysteribus? Affirmamus.

IV.

An theriaca puerulis tutò possit intrâ corpus exhiberi?

V.

An philonium Romanum tutiùs & salubriùs detur in frigidis affectionibus, an verò in calidis? Nos affirmamus de posteriori.

An

COROL

VI.

An fomenta in colicâ passione, & alijs morbis, in quibus ea vsurpare necessum fit, post vacationem totius, an verò antè potius conueniant? Affirmamus prius.

VII.

An ex urinâ possit cognosci mulierem vtero gerere? Negamus.



Ad

Doctis. dominum RESPONDENTEM, popularem & contubernalem suum, Fraternè amandum.



*I Colicæ causas quisquam vel scire laborat,
Vel præsens illi ferre leuamen auet:
Perlegat hæc theses, relegatq; adtentius omnes,
Atq; sui voti postmodò compos erit.
Autor quippè catus scitè congesit in unum,
Quicquid & Hippocrates, quidue Galenus
habet.*

C 2

Insu-

*Insuper & nostro quæ sunt monstrata Lycéo
Addidit: hoc illi sedula cura dedit.
Nempè Dii vendunt cunctis sua dona labore;
DI quoq; vanum dant absq; labore nihil.
Perge iter inceptum, Thoma, decurrere; nec te
Abripiat blando Murcia blanda sono.
Phæbus honorabit quondã te Daphnide, Phæbus
Hoc-ipsam hoc-ipso dixerat ipse die.*

Fridericus Ienckius,
Suebusinas, Sil.
Φιλιατρὸς.

F I N I S.

